

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3571

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

Genre d'acte : vidimus

Authenticité : non suspect

Datation : 1258, juillet

Lieu d'émission : Andresiacum

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

En vidimant les chartes de Renaut dit Trossebout et de sa femme Jeanne, Louis [IX], roi de France, confirme les donations faites par eux aux moines de l'abbaye Notre-Dame de Bonport. Il s'agit de la donation d'une rente annuelle de 10 livres tournois du moulin de La Trousseboitière donnée par Renaut, d'une part, et de celle d'une rente annuelle de 40 sous à percevoir du fief de Guillaume de Bordigny sis à Bos-Bernard-Commin à l'anniversaire de la mort de ladite Jeanne, d'autre part.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 600, p. 112.

b. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CCXX-CCXXI, p. 222-224 et n° CCXXVIII, p. 232.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi presentes pariter et futuri quod nos litteras Reginaldi dicti Trowsebout, militis, vidimus in hec verba :

Sciant omnes presentes et futuri, quod ego Reginaldus dictus Trowsebout, miles, dedi et in puram elemosinam perpetuam concessi, pro salute anime mee, necnon et parentum meorum et omnium antecessorum meorum, et Johanne, uxoris mee, Deo et monasterio Beate Marie Boniportus et religiosi ibidem Deo et Beate Marie famulantibus, decem libras turonensium annui redditus, sitas in molendino meo de la Trowsebotiere, quod vocatur Warin, percipiendas et habendas dictis religiosi vel eo mandato, causam habenti ab eis, annis singulis in perpetuum in dicto molendino, sive in proventibus dicti molendini hiis terminis, videlicet in Nativitate Domini centum solidos, et in Nativitate Beati Johannis Baptiste centum solidos, de quo redditu ordinavi ut in die obitus mei singulis annis habeant (sic) conventus pittanciam ad minus quadraginta solidorum, libere quiete et pacifice, sine reclamacione, contradicione seu impedimento de cetero mei vel heredum meorum, ita quod idem religiosi ex nunc de dicto redditu suam omnimodam poterunt facere voluntatem, et insuper licebit eisdem super dictum molendinum plenariam facere justiciam pro dicto redditu habendo annuatim. Preterea ego dictus R. me et heredes meos specialiter obligavi ad garantizandum dictis religiosi in perpetuum dictum annum redditum contra omnes, vel ad excambium illum in hereditate mea vel alibi competenter, si illum aliquo casu contingente nequiverimus garantizare. In cujus rei testimonium, presentem cartam sigilli mei munimine confirmavi, et ego Johanna, uxor dicti

Reginaldi, hanc donationem volui, laudavi et approbavi et presenti carte una cum sigillo dicti Reginaldi mariti mei, sigillum meum, ad majorem confirmationem, nulla vi compulsa, apposui, sed posius (sic) spontanea voluntate. Actum anno Domini M° CC° quinquagesimo septimo, mense Marcio.

Item alias litteras Johanne de Haiis, uxoris prefati Reginaldi, dicti Trousebout, militis, vidimus in hec verba :
Sciant omnes presentes et futuri, quod ego Johanna de Haiis, uxor Reginaldi dicti Trousebout, militis, de assensu et voluntate dicti Reginaldi, mariti mei, dedi et in puram et perpetuam elemosinam concessi pro salute anime mee necnon et parentum meorum et antecessorum meorum et dicti Reginaldi, mariti mei, Deo et monasterio Beate Marie Boniportus et religiosis Deo et Beate Marie ibidem famulantibus, quadraginta solidos annui redditus ad pittanciam faciendam conventui singulis annis in die obitus mei, percipiendas à Guillelmo de Bordeni super totum feodum quod tenet de me in parrochia sancti Petri de Bosco Bernardi Coumin in festo sancti Michaelis annuatim, percipiendos et habendos dictis religiosis vel eorum mandato causam habenti ab eis annis singulis in perpetuum à dicto Guillelmo vel heredibus suis libere quiete et pacifice, sine reclamazione, contradictione seu impedimento de cetero mei vel heredum meorum, ita quod idem religiosi suam ex nunc de dicto reddito facere poterunt omnimodam voluntatem, et insuper licebit eisdem super totam terram, quam dictus G. tenet de feodo meo, plenariam facere justitiam pro dicto reddito habendo annuatim. Preterea ego dicta Johanna me et heredes meos obligavi specialiter ad garantizandum dictis religiosis dictum annum redditum contra omnes in perpetuum vel ad excambiandum illum in hereditate mea vel alibi competenter, si illum aliquo casu contingente nequiremus garantizare. In cuius rei testimonium, presentem cartam sigilli mei munimine confirmavi. Et ego Reginaldus, maritus dicte Johanne, hanc donationem volui, laudavi et approbavi et presenti carte, una cum sigillo dicte Johanne, uxoris mee, sigillum meum, ad majorem confirmationem, apponere dignum duxi. Actum anno Domini M° CC° quinquagesimo septimo, mense marcio.

Nos autem premissa omnia, prout superius continentur, volumus, concedimus et auctoritate regia confirmamus, salvo jure in omnibus alieno. Quod ut ratum et stabile permaneat in futurum, presentes litteras sigilli nostri fecimus impressione muniri. Actum apud Andresiacum, anno Domini M° CC° quinquagesimo octavo, mense julio.